

communi calculum suum addunt, nonnunquam vero animas statim a discessu suo a corporibus loca sibi debita adire contendunt.

*Orationes  
pro defun-  
ctis sunt  
frustra-  
neae.*

§. 8. Eo ipso vero, quod demortui statim a primo momento obitus sui ad loca sibi debita vel in coelum, vel in infernum contendunt, *orationes pro defunctis* vel saluatis vel damnatis plane *frustraneas* esse, recte concluditur. *Probat*ur amplius

- I. *A deficiente praecepto.* In rebus enim religionis citra expressum verbum nihil faciendum est. Est autem res ab oculis et intellectu humano prorsus remota, scire, *an sancti sint inuocandi, et utrum preces nostras audiant?*
- II. *A deficiente in scriptura exemplo.* Neque enim vllum vel ad speciem proferri potest siue ex V. siue ex N. T.
- III. *A scripturae interdicto.* Cum enim epulo, Luc. XVI, 24. pro fratribus suis oraret, item pro se peteret poenae mitigationem, proque ea Abrahamum, ut intercederet, rogaret, simpliciter vtrumque negatum fuit.
- IV. *Ex deficiente orationis fine.* Nec enim saluati opus habent, ut quicquam iis, aliis petentibus, accrescat, nec damnati ex damnatione eripi possunt.

*Cont. Pontif. errorem, orandum esse pro mortuis.*

§. 9. Pontificii hanc orationem vehementer commendant, falsa nixi hypothesis, ac si pleraeque post mortem animae in purgatorio existant, atque per preces inde liberari possint. *Probant*

I. *Exem-*